IN LAUDEM EMINENTISSIMI, & REVERENDISSIMI DOMINI D. DOMINICI S.R.E. PRESBYTERI...

Antonio Sebastiano Landò

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO.

CUM de DOMINICO Capranica S.R.E. Cardinali ampliſſimo, Collegiique noſtri Fundatore beneficentiſſimo, viris maximis aſſidentibus, verba de more facere meditarer. Id ipſum mihi contingere viſum eſt, quod puero quandòque ameniſſimum ingredienti viridarium, variis undiquè deſcriptum floſculis, plantis obſitum, herbiſque ſeptum virentibus ſolet evenire: is continuò tantâ florum attractus varietate ſiſtit immobilis, animoque hærens, quò pergat, quò pedem ferat neſcit, magiſque perpleſſior factus, an illum legat potiùs, an verò iſtum decerpat priùs, ignorat; omnes in unum conferre cupiens, ne unius electio alterius extet denegatio. Illud equidem dum ad DOMINICI laudes animum intendebam, tot, tantæque novæ occurrebant virtutum ſpecies, ut unam potiùs præ aliam aut ponderandam magis, aut ſeligendam minùs, incertus penitùs hæſitarem (1). Obverſabatur quippè ante oculos regia illa atque excelſa animi magnitudo, qua DOMINICUS Cardinalis in omni vitæ ſtatu tantò ſe cæteris mortalibus ſuperiorem exhibuit, quantò & nobilitate generis, & dignitate fortunæ ferè cæteros anteibat (2). Occurrebat

A 2 quo-

(1) *Pogius in Vita ejuſdem in princ. pag. 72.* (2) *Ciacconius tom. 3. ad an. 1417. pag. mihi* 841.

quoque beneficentia illius, & liberalitas penè incredibilis, quâ factum eſt ut eâ tempeſtate auream ætatem poſtliminio ab ipſo revocatam homines ſibi gratularentur. Rapiebat animum ſumma ejus, & quaſi divina in adverſis fortitèr ferendis conſtantia, conſilium par magnitudini animi, & quantam vix poterat ejus ætas capere ſolertia (1); pietas denique, ac vitæ ſanctimonia ab ineunte ætate tàm eximia & admiranda, ut in ipsâ adoleſcentiâ ea ſanctitatis præmia præoccupaverit, quæ alii vix extrema conſequntur ſenectute. Ex quibus ſane tot tantiſque virtutibus, etſi nullam eſſe intelligerem, quæ argumenti magnitudinem quamdam, & novitatem minimè preſeferret, nihil tamèn mihi adeò novum, admirandumque in toto DOMINICI vitæ curriculo viſum eſt, quàm belli curas unà cum litteris, ſcientiiſque tàm mirificè in eo conjunctas conſpicere; ut ad communem fœlicitatem, & ad Chriſtianæ Reipublicæ columen difficillimis illis temporibus mæritò natum eſſe omnes intelligerent & faterentur. Mirum ſanè eſt quod veteri communique hominum ſermone percrebuit non facilè convenire, vel raròin unâ ſede commorari poſſe ſummam bellandi curam & ſcientiam ſummam, ſed ex hac ipsâ rei novitate, quæ brevi huic Orationi argumentũ ſuppeditat de facili percipietis Auditores, quid de tanti viri virtute bellicâ quid de ſcientiis judicandum.

I. Inanis quidem, ac permoleſta ſemper fuit (2) quorumdam non ſanæ mentis opinio, qui ſupra nobilitatem, ſplendorem ſtrenuitatem, atque omnia, alia, quæ vel naturæ, vel fortunæ dona appellari poſſunt, ſcientias, litteraſque, aut parùm ad nihilum prodeſſe fatentur. Putant nimirùm cùm iis locum obtinere non poſſe virtutes, quæ quaſi communes (ut [illegible] ajunt) & populares habentur: diſciplinarum, ſcilicet, ſtud[iorum], eximia doctrina, exquiſita litteratura. Putant, inquam, [de] dignitate ſibi plurimum detrahi, magnumque fieri illi, q[uam] con-

(1) *Rainaldus ad an. 1454. num. 4. Scipio Ammirat. in hiſtor. Florent. S. Antoninus tom. 3. hiſtor. tit. 22. cap. 16. §. ult.* (2) *Falſa Gothorum, & ſectantium dementia.*

concupiſcunt fortunæ, obicem, ſi aliquid temporis in earum aquiſitione impendatur. Ex qua profectò falsâ hominum opinione mala tàm eximia cùm in Provinciis tum in Civitatibus irrepſiſſe nemo eſt qui non videt: Ubi enim (ut Ariſt. ait (1) non eſt præſens Philoſophus ibi civium deeſt felicitas & Plato (2). Beata ſolum eſt Reſpublica cui Princeps ſapiens dominatur.

II. Verùm longè aliter in omni vitæ ſuæ decurſu ſtatuit DOMINICUS, in tantâ enim familiæ nobilitate, rerumque ab eo contrà Eccleſiæ hoſtes geſtarum amplitudine, nunquam ſcientiarum expers, totum ſe liberalibus mancipare diſciplinis omni induſtria, ſtudio, viribuſque contendit. Hinc quemadmodùm natura à primordiis, ætatis ſuæ ingenium perſpicax ſummâ cum ſtrenuitate conjunxerat, ita virtus, & præclara tot magni nominis Hæroum exempla illius animum ad eas ſic inflammarunt, ut ſuæ (ut ita dicam) demptum gloriæ exiſtimaret, quidquid vel ſcientiæ, vel ſtrenuitatis tribueretur alienæ.

III. Duo namque cum armorum tùm litterarum lumina magnos, videlicet, Cæſarem & Alexandrum, ut ſibi præ oculis habenda elegiſſe credendum eſt: (3) quorum primus ſcientiis ſimul & armis tàm perfectè nupſerat, ut fugam per Tuberonis undas arripere adactus, dexterâ enſem ad defenſionem, ſiniſtrâ commentarios ad immortalitatem tenuiſſe feratur. (4) Alter verò ſic arma & libros adhùc puerulus pertractare aſſueverat, ut non minus Philippi Patris ſui Filium, quàm Ariſtotelis ejus magiſtri diſcipulum ſe dignum eſſe gloriaretur. Quid indicarunt Romani veteres Herculis ſtatuam Muſarum ſimulacris adjungentes, niſi mutuam arma inter & litteras ſocietatem? Quid cùm Palladem loricâ munitam & clypeo è Jovis capite genitam confixere, niſi quod bellorum amor, & ſtudii uno partu jungatur?

(1) *Ariſt. Ethic. 2.* (2) *Plato tom. 2. ſyzyg. 4. lib. 6. de Republic.*
(3) *Plutar. in Vita Cæſaris pag. 72.* (4) *Plutar. in Orat. 1. de fortitud. Alex.*

IV. His ergò prælucentibus ſibi Majorum exemplis non obſcurè intellexit DOMINICUS præſtantiſſimis viris nil ad immortalitatem conferre magis quàm armis litteras, ſcientias ſtrenuitate cumulare. Cum itaque in ipſo ætatis flore in Flamminiam pro Legato fuiſſet deſtinatus (1), ut Forolivium, Imolamque à Philippo Mediolani Duce noviſſimè reſtitutas, Pontifici adminiſtraret; ipſum non latens, quod opinione, ac ſcientia præditus aliis verè Dux eſſe poteſt, eam lubentiſſimè provinciam agreſſus eſt (2), in qua ea animi dexteritate præfuit, pertractavit explevit, ut vel ſcientiæ potiùs quàm ſtrenuitati, ſummam, quam reſtituit tranquillitatem neſcirem ego cui convenientiùs adſcribere. Nam cùm de pace Ducem inter & Venetos (3), Florentinoſque belli ſocios ageretur, eò ſua ſcientia, doctrinaque pervenit, ut ejus dictis quieſcentibus omnibus, ſe eorumque ſententiæ in hoc convenere, id ipſum fieri quod ſua ſapientia congruum magis eſſe judicaverit.

V. Magna quidem ſunt hæc, & pervulgata, quæ de DOMINICO, ejuſque rebus ſapientèr geſtis ad hiſtoriæ fidem fama deprædicat, ſed ad præſtantiora ejus roburis facinora feſtinat Oratio. Cum enim Bononiæ cives haud ſecùs quàm par erat à Pontificis obedientia defeciſſent (4), Eccleſiaſticis in unum accitis copiis tantâ humanitate, prudentiâ, æquitate rexit Pontificios Milites, ut qui jam turpiter ab Eccleſiæ fide deceſſerant, ſe ad priſtinam ejuſdem ſocietatem revocarint. Huc accedit, quod majoribus acceptis à Pontifice auxiliis denuò Bononienſibus bellum infert, quo factum eſt, ut ea omnia, quæ vel vi, vel metu capta fuerint ab hoſtibus, oppida in ſuam Eccleſiæque dictionem ſtrenuo animi ardore redegerit.

VI. Sed quid inter tot armorum ſtrepitus, quid, inquam, domi faciet DOMINICUS? Quæ munera, quæ officia, occupationeſque eum detinebunt? Num de obſidione, de bello, de mo-

(1) *Pogius in Vita pag. 74.* (2) *Cicero lib. 1. de fine bonorum, & malorum.*
(3) *Ciacconius ubi ſupra pag. 480.* (4) *Pogius in Vita pag. 74.*

Digitized by Google

modo, de tempore, de victoria cogitare adeò, ut totum diei ſpatium in illis laberetur? vincam profectò expectationem veſtram (1). In his etiam tàm gravibus, tàm moleſtis, ac penè incredibilibus occupationibus, nunquam litterarum patrocinia intermiſit, nunquam vel minimâ in iis elaborandis induſtriâ defecit, ſolitus adhuc pranſurus doctos, quos ad hoc domi ſemper habebat, viros (2), Theologicas ac Philoſophicas quæſtiones pertractantes audire, aliquid in medium afferens, unde faciliùs eos ad dicendum alliceret.

VII. O ſingularem hominis virtutem (mihi exclamare fas eſt) ò ſcientiam admirabilem, ò valorem incredibilem, atque omni laude, prædicatione, litteris, monumentiſque decorandum! Deſinant per me licèt, deſinant, inquam, veterum Annalium Hiſtoriæ ſummis ad Cœlum laudibus extollere Marios Antoninos (3), Lucinos, Balbos, alioſque: quid enim mirum ſi iſti in nullâ rerum, armorum, militum, imperiique potiùs quàm ſcientiarum inopiâ conſtituti depreſſerint gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, atque omni copiarum genere abundantes? At quod DOMINICUS tantò non munitus imperio, neque exercitu inſtructus, non ſub Ducis, ſed Legati perſona, Apoſtolicæ dignitatis authoritatem, nedum doctrina & ſcientiis, ſed & animi robore propugnaverit, Eccleſiæque hoſtes ſubjecerit, hoc quidem maximum eſt opus, quod integrum à me poſtularet Orationis locum, ſi parem adinveniret in Oratore facundiam.

VIII. Aſt majora quidem nobis occurrent ſcientiæ ſimùl ac ſtrenuitatis argumenta, ſi DOMINICUM ipſum ad Cardinalatus faſtigium jam evectum, & Firmi Archiepiſcopum, Peruſiæque Præfectum contemplemur. Quid enim honor tàm eximius quò in Purpuratorum numero adſcribi, quid onus tàm grave quo Peruſinæ Urbis Præfectura decorari? Hæc mehercle etſi

(1) *Pogius, Ciaccon.* (2) *Pogius in Vita pag.* 86.
(3) *Euſeb. lib.* 18. *hiſtor. cap.* 13.

etſi ad illius ſcientiam referri debeant, non modicum tamen valoris argumentum præſeferunt. Quod ut verum ſit in Picæno amabo vos Auditores ornatiſſimi paulùlum mentis aciem convertite (1). Quis egregia, quæ armatus geſſit contra Mediolani Ducem certamina æternâ decoraſſe gloriâ, palmas, quas meſſuit Eccleſiæ hoſtium ſanguine rigaſſe, captarum direptione Urbium, ac Oppidorum Pontificis amplificaſſe dignitatem inficiabitur? Quis ingenii victorias quas retulit, eloquentiæ triumphos quos egit, eruditionis trophæa quæ conſecravit, librorum volumina (2), quæ edidit non de ſua tantum, ſed de poſterorum quoque omnium memoria conſuluiſſe male ſanus dubitabit?

IX. Equidem dum tàm inſignia, tàm exquiſita DOMINICI geſta mente mecum ipſe recogito, dubius planè hæreo majorem ne in eis ſibi partem vindicaverit lingua vel manus, imò ut verum fatear, magnum & acre video ſcientiam inter & ſtrenuitatem oriri diſſidium, utri videlicèt gloriæ tribuendus ſit Principatus. Etſi enim frenata nefariorum hominum audacia, inſtructi exercitus, repreſſi conatus, Eccleſiæ hoſtes extincti, Urbes & Provinciæ in Pontificis dictione redactæ, aliaque omnia incredibili animi ardore geſta maximam ei pariant commendationem, cùm tamen neminem lateat, quin ille non ob ſummam ſolùm in bellicis artem, ſed ob animi potiſſimum ſagacitatem ac prudentiam, quæ ſcientiæ doctrinæque partus nuncupatur, iſthæc excogitaverit, egerit expleverit, quis facilè dijudicare poſſet armis ne an litteris magis ſit tribuendum?

X. De duabus ſtellis Caſtore, & Polluce effinxere Poætæ ſibi ipſis tali modo immortalitatem partiri, ut alterâ ex unius defectu reviviſcente, ſuâ unaquæque diei parte non careat. Hoc licèt ſomniarint Authores, mirificè tamèn ad rem noſtrã convincunt. Cum enim Mecenatis optimi ea una eſſet cura, eo-

(1) *Pogius in Vita pag. 79.* (2) *Libri referuntur à Ciaccon. tom. 3. pag. 839*

eoque univerſa ejus ſpectaret anſietas, ut aut armis, aut litteris cunctis prodeſſe poſſet; quodlibet ex hiis ſuam ſibi in eo partē mirificè vindicaſſe compertum eſt: hoc tamèn addito, quod illæ alternè mortem oppetere, & reviviſcere, eæ autèm augeri ſempèr, ac roborari magis viderentur. Quaproptèr non eſt, quod miremur ſi (ut ait magni nominis Author) (1) utiliſſimè in rebus arduis, paciſque, ac belli negociis uterentur Pontifices.

XI. Et quoniam temporis anguſtia eò me ductum videò, ut vela colligere, & quaſi in medio orationem abrumpere neceſſe ſit. Unum equidem, de quo & ipſa, quæ mihi impoſita eſt oratoris perſona, & ampliſſimi hujus loci parietes quodammodò me admonere videntur, præterire nullo modo poſſum (2); hoc ipſum ſcilicèt almum Collegium à Sapientiſſimo Cardinali ſplendidiſſimè non reſtitutum modò, dotatum, auctum, ſed penitùs è fundamentis erectum: qua quidèm in re quantùm magni Hærois providentia effulgeat & conſilium cui tàm rude, aut tàm plnmbeum ingenium ut non agnoſcat? Quo enim reipublicæ fructu ſuum de hac litteraria paleſtra benè merendi ſtudiũ ſeſe nobis obtulerit dies ipſa declarabit. Sed quid ego futuri temporis fidem appello, qui præſentis teſtimoniũ proferre poſſum? Non ſemel ad hancdiem quid diſciplinæ hujus Alumni ingenio ac virtute poſſint publicè exploratum eſt, quid in peripateticæ velitationis arena, quid in Theologicarum diſputationum certamine, quid in ſacrorum Canonum facultate proceſſum ſit, ad vos ò Quirites, qui mihi teſtes adeſtis provoco lubentiſſimè.

XII. Eſt ſapientum omnium firmata judicio, & cum ipſis penè litteris nata opinio, maximam eſſe in republicâ vim litterarum, imò neceſſariam adeò, ut aliud quidquam præter litteras ad tuendam populorum fælicitatem nihil conferre magis videatur. Quod quidèm cum præclarè olim Mitilæneis innotuiſſet (3), eas, quas ſemel armis ſubegiſſent gentes nulla alia, niſi

ut

(1) *Spondan. ab an. 1454. num.4.* (2) *Gobellin. in coment. Pii II. Pog. Ciaccon.*
(3) *Elianus.*

Digitized by Google

ut liberos ſuos arcerent à litteris, pœna mulctabant; omne illis præſidium ſe ſuſtuliſſe rati, ubi tantùm litteras ſuſtuliſſent. Probè quidem ſed longè diverſo modo hoc idem patuit DOMINICO (1). Volens enim adhùc per obitum bonarum artium emporium, undè Italiæ dignitas, undè Almæ Urbis ſplendor, undè chriſtianæ Religionis præſidium, ſcutumque firmum deſumeretur in hoc opere conſtituere, ea ipſa ſtrenuitatis, ac doctrinæ ſemina poſteris inſidere conatus eſt, quorum uberes fructus abſentiæ ſuæ cauſa aliquando defecturos extimeſcebat.

XIII. Sed longiùs forſan quàm par erat dicendo provecti ſumus. Tanta equidèm ſunt, quæ hic ad hujuſcemodi virtutes probandas in medium afferre poſſem teſtimonia, ut nequeat quiſquam, ne ſi mentiri quidem velit majora configere, nequè vera confectans omnia tàm brevi temporis ſpatio complecti, ſed aut ab ipſo multa, aut ipſum à tempore deſeri neceſſe ſit. Quamobrem etſi alia omnia uſque huc adducta ſcientiæ ac ſtrenuitatis argumenta deeſſent, hoc unũ tàm excelſum tàm rarum Cardinalis ampliſſimi opus longè quidem meliùs, quam mea dicendi imbecillitas ad omnem poſteritatis memoriam incertum relinquet plus ne linguâ valuerit quàm manu, calamo ne fuerit quam enſe, ſcriptis quàm factis, dicendi quàm bellandi arte præſtantior, vel potiùs prædicabit DOMINICUM Capranicam Virum fortiſſimum ſapientiſſimum, unòque verbo doctrinæ plenum, & ſtrenuitatis. Dicebam.

(1) *In proœm. Conſtit. Colleg.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

8

Digitized by Google



Ex apographo Musivi Vat.
Apud A. Mariottus F. Bombellus delin et sculpsit

Digitized by Google